

# D I V U S I V O

DICTIONE PANEGYRICA CELEBRATUS,

DUM IN ACADEMICA SOC. JESU

D. JOANNIS BAPTISTÆ BASILICA

INCLYTA FACULTAS JURIDICA

Coram Senatu, Populoque Academico

*Coll. E I D E M Tyrn. d. 7. 1754*

# D I V O T U T E L A R I S U O

SOLENNI RITU ANNUOS HONORES INSTAURARET.

*D E F E R E N T E*

ADMODUM REVERENDO, AC DOCTISSIMO E SOC. JESU PATRE

FRANCISCO CSÉCSI, AA. LL. & Philof. Doctore,

SS. Canonum Professore Ordinario: nec non Inclytæ Facultatis

Juridicæ p. t.

D E C A N O S P E C T A B I L I.

*O R A T O R E*

PERILL. AC ERUDITO D. ALOYSIO JOSEPHO GRUEBER, AA. LL.

& Philof. Baccalaureo, Juris utriusque in annum primum Auditore.

*A N N O S A L U T I S M D C C L I V. Mense Majo, die XXVI.*



T Y R N A V I Æ,

TYPIS ACADEMICIS SOCIET. JESU,

ANNO 1754.



D I V U S I V O

DICTIOE PANECYRICA EPIBRATVS

HOM IN ACADEMIA BOE 1722

D. JOANNIS BAPTISTE BASILICA

INCIPTA FACULTAS IURIDICA

Coram Senatu, Populoque Academicis

*1722*  
BIVO TUTELARI SUO

SCIENTIA REI APTOS HONOREM OBTINERIT

D. DEB. DE V. A.

Amorum Reverendorum ac Doctissimo e Socii Jean Patre

FRANCISCO CASCI, A. A. LL. & Philol. Doctores

et Canonum Theologicis Ordinatio: nec non iustis Facultatis

Juribus p. n.

DECANO SPECTABILIS

ORATOR

FRANCISCO D. ALOYSIO JOSEPHO GREIBNER, A. A. LL.

et Philol. Doctores, Juris omnium in Austriae Universitate

et in Universitate Medicea Vindobonensi, etc.



T Y R I A V I A

TYRIS ACADEMIE SOCIET. LEGIS

ANNO 1722





# O R A T I O.



Quum erat, ut IVONIS Justi pro-  
meritis a DEO primum corona Ju-  
stitiæ æternitas: a DEI Ecclesia sub-  
inde honor inter altaria: a Vobis  
adornata hæc Academicis Vestris  
insignibus pompa ( ea tamen pietate  
Vestra illustrior ) hodie obveniret.

*Magnifice hujus Almæ, ac Celeberrimæ Universitatis, Col-  
legiique Societatis JESU Adm. R. P. Rector! Amplissime  
Adm. R. P. Cancellarie! Spectabilis Adm. R. P. Decane!  
Incllyta Facultas Juridica! Senatus, populusque Academicæ!*  
Neque enim recti ille omnis Auctor, & Arbitrator pretio  
alio, quam æterno perseverantem appendit justitiam: ne-  
que Vicarium cœli Oraculum extra cœlum illustria hu-  
jusmodi errare patitur sydera: neque scholæ Juris utrius-  
que celeberrimæ plus se debere industriæ Institutioni-  
bus mortuis, quam pietatis exemplis viventibus, arbi-  
trantur.





Et vero si Fortuna quibusdam numen fuit, si militaris etiam fortitudinis laus, & gloria tot ubique Gentium trophæis coronata est, ac monumentis celebrata: an Justitia, an æqui, rectique amor nulla sit usquam memoria honestandus? Equidem quid DEO, quid nobis, quid ejusdem nobiscum naturæ sociis debeamus, altior quædam mens cordibus nostris inscripsit, altior quædam mens mentibus humanis instillavit. Quod tamen, necio, quæ rerum vicissitudo, qui temporum, hominumque mores, & injuriæ sæpe prope obliterant. Ii grandes merito, ii factò illustres hodie, qui ad maximi, quo reguntur mortalia, necunturque omnia, vinculi fidem solvendam novis iterum præeunt exemplis.

Felix igitur Britannia Galliæ, quæ ad id genuisti! Felix Aurelia, quæ ad id instituisti IVONEM, ut ab eo in quibuscunque recti Officiis nova orbis caperet documenta! In hoc enimvero Justitia & Cultorem nata est eximium, & Tutorem fortem, ac perpetuum. De eo sollicitum unice, suum ut cuique redderet: & de eo sollicitum maxime, ut suum desertissimis quibusque vindicaret. Qui adeo recte vixit, adeo pro recti partibus egit semper, ut sedem in corde hujus fixisse æquitas: invenisse in lingua præsidium videretur. De quo etiam duplici argumento plura parantem vos benevolentia vestra sustinete.





**S**uum cuique reddere : est rationibus æquis officia in  
**DEUM**, in nosmetipsos, & in conjunctos nobis  
natura socios partiri. His namque velut limitibus ( nisi  
nimium arctatam velis ) suos **Justitia** fines, laudesque  
circumscribit. **Immortali** autem **DEO** quid officii **IVO**  
reddiderit, jaceret in silentio, nisi precantis lacrymas  
templorum altaria, nisi pietatem adorantis urbium tem-  
pla, nisi contentionem dicentis suggesta, vici, & com-  
pita propalarent. Litandum enimvero erat? litavit,  
**IVO**: at ea ratione, ut & sacrificii horam præirent  
lacrymis madentes oculi, & divino, victimæ incruentæ,  
fangui, manantes ex oculis, fere miscerentur lacry-  
mæ. Dicendum etiam erat ad populum? dixit, &  
peroravit **IVO**. Imo die uno diversas ad conciones,  
diversis, neque, nisi arduo emetiendis itinere, spatiis  
oratore[m] audiit **Gallia**, ut, quod æquissimum censeret  
ipse, per ipsum prope unum fieret, & qua pedes, qua  
vox, qua lacerti ejusdem durarent hominis, ab eodem  
ubique vulgandis **DEI** oraculis serviretur. Nempe: adeo  
coelestibus, quæ gerebat, Sacerdotis, Pastorisque,  
munis non omni ex parte satisfactum putabat, nisi  
cumulata hoc in genere facta, omnes in villas, oppida,  
& civitates emanarent.

Quamquam tamen hæc dum agit **IVO**, sol occasu  
cursum, diemque terminare potuit, non susceptos pro  
**DEO**, pro animarum salute labores **IVONIS**. Stu-





diis etenim, commentationibus, lacrymis, & precibus non modicam noctis partem fallendo, ita DEO, ita rerum Authori, ac Domino placere semper studuit, ut ei, qui lucem a tenebris stabili divisit legē, qui mutuis amplexibus diem ire jussit, ac noctem, semper, & nunquam non placeret. Cœterum quieti quoque tribuendum aliquid erat: ne dum æquitati parte altera operam daret IVO, altera minus æquus, & justus videretur. Poscit enimvero sua corpus etiam Officia, naturæque Authori is est injurius, qui naturæ quoque suam, quod debet, renuit, & recusat. Quare quievit IVO, quod dandam membris lassis quietem ipsa recti ratio suaderet. Quievit, sed tamen duro super lapide. Quievit: sed sæpe aspero cinctus cilicio. Denique, ne eorum quidpiam officiorum supremum negligeret, quibus, innixa æternis Religionis placitis, ratio consuevit morituram primum, rursusque victuram carnem, adornare, prius vixit IVO, quam pati desit.

Sed tamen reddi hæc DEO, hæc corpori potuere minime, quin simul immortalis animus, quod suum esse sentiret maxime, consequeretur. Equid enimvero magnæ, quam nos intra concludimus, menti debetur magis, atque quarumlibet cultus virtutum? Religio si plena luce fulgeat, amor si Sancto, innocuoque igne ardeat, corpus si rationi per omnia pareat, illud ex æquo redditum est, quod pars hæc nobilior hominis





ceu suum deposcit. Reddidisti autem hæc omnia IVO!  
Et quoniam reddidisti cumulate, retexenda non sunt  
vetera, dum supersunt recentia laudum tuarum orna-  
menta. Verecundiam pudici oculi tui, mansuetudi-  
nem constans frontis serenitas, mentem a suspicione  
labris remotissimam vox illa omnibus loquebatur, qua  
ad consilia casta adduxisti non castos, ad mansuetudi-  
nem revocasti feros, & inimicos.

At illa tamen præ cæteris memoranda virtus tua,  
quam Augusta Lutetia habuit, cur amplius, ac suo-  
rum laudes, triumphosque Regum miraretur. Studiis  
enimvero in ea tu urbe navabas operam, ut florentissi-  
mam illam scientiarum sedem Sanctis etiam Auditori-  
bus ornari videremus. Una tamen talem te propensis-  
sima illa in omne miserorum Genus voluntas tua refe-  
rebat, ut iisdem in literis & industriam, & famem alie-  
næ commiseratione inopiæ fociares. Quamquam ta-  
men & hoc facto præluxisti solum præclaris reliquis  
virtutibus tuis, & ornamentis, quibus deinceps etiam  
omnium oculos in te convertisti. Egenis namque cre-  
vere semper hortenses fructus tui: pro his agrorum tuo-  
rum fertilitas segetes tibi expectatas reddebat, ut esset  
jam nemo, qui tuis in horreis levamen, & auxilium,  
non inveniret. Altorem hinc te suum, ac Patrem pau-  
peres iis ubique prædicabant lacrymis, quas cum an-  
tea ex oculis extorsisset egestas, & famis acerbitas,





jam levata per te unum calamitate, miseratio, munificentia, & liberalitas tua exciret.

Coeterum post hæc omnia parum adhuc tibi agere visus es, nisi finiente egestatis mala omnia morte, tua minime terminari in pauperes studia potuissent. Et ideo efferebas neglecta contemptorum cadaverum funera, ut ii, quibus stipem vivis deesse passus es nunquam, a vita desertos se citius, quam a te, & a Charitate tua, experirentur. Quod etiam laudis tuæ genus, cum emortuis linguis sua redibit vita, ille proferet, & celebrabit præ aliis, cujus a te squallor illatus est tumulto, cum justa solvere funebria horrenti sanie mendicabula ipsa despectissima formidarent. Inter hæc autem quæ jam fortitudo, & constantia tua? quis rerum humanarum despectus? quæ spes vitæ beatæ, & venturæ? quis denique virtutum etiam cæterarum comitatus eluxit? ut adeo nec animus queri tuus possit, ullum sibi abs te ullo in genere cultus officium defuisse. Verum parantem plura Oratorem nec jam Gallia universa sustinet, quæ, quod impensas ab IVONE viventium animis, aut misere viventium morbis, & egestati, vel supremum viventium mortibus, ac funeribus curas cumulate spectarit, confessioni suæ quidquam haud addi patitur, quippe quæ una argumentorum omnium locum, & pondus subire gestit, ac superare.

DEO





DEO igitur Religionis , asperitatis corpori , animo virtutum , ac fociis ejusdem naturæ officia ex æquo impendit IVO. Quare res jam , & tempus deposcunt , ut quantum in hoc Justitia cultorem habuit , tantum , tamque fortem habeat , ac sentiat Tutorem , Vindicem , & Advocatum. Ad id vero causis opus est desertissimis , quarum neglecta curatio majorem conciliat laudem , ac gloriam defensoribus suis. Inter desertissimas autem sunt proculdubio res pauperum , & Ecclesiarum : cum vilia , & sacra , nisi recti amantissimus , vix quisquam tueatur. Fuit tamen is IVO , ut & jura pauperum contra opulentissimos assereret , & potentissimos contra Ecclesiæ jura non reformidaret : atque sic utroque facinore quantus , qualisque esset Juris utriusque Magister , Doctor , & Vindex , declararet.

Vestigal a Præsule , vestigal ab Ecclesia Trecorensi sacris e thesauris pendendum erat. At consilio , voce , & arte IVO Adversariorum insolentiam , injuriamque temporum ab aris Sanctissimis vel propulsavit omnino , vel certe invicti pro Ecclesiæ libertate animi monumentum perenne reliquit. Quin imo eo pervenerat , impietas , ut in triumphum publicum iniquitatis raptus Antistitis equus duceretur : verum & hic eo usque restitit IVO , ut ereptum avaris peculii sacri prædonibus spoliū , veteri rursus , sanctiorique Domino serviret.

Et





Et hæc tu fortiter IVO ! verum quinam , quarumve viduarum gemitus , quæ pupillorum lacrymæ , qui clamores , & lamenta te circumdant , & circumsonant ? Ita ne ergo unum hi in te omnes quærunt præsidium , unum , & certum expectant solatium ? neque enim jvari ab omnibus , quæ deferi a plerisque paupertas solet. Ex hoc tamen agmine nobilis cujuspiam auditur vox , ac discernitur , qui quod justa in causa nobilitatem Generis cum egestate , & inopia summa conjunctam adferret , suo , sed tristi didicit exemplo , plus in Tribunalibus sæpe novum , ac pingue peculium , quam nomen splendidum , & avitum valere. Cæterum tamen causa ne caderet , fama profuit , qua IVONEM noscebat : a quo si destituta aliquando fuisset causæ alicujus æquitas , tum enimvero , tum , an terrarum uspiam esset justitia , ambigi potuisset. Nempe : adeo non defendit modo , verum etiam defendere ambiit ea omnia , quæ patrocinium nuspiam , quam in acerimo Justitiæ Tutore reperirent. Et ideo per IVONEM actum , ne Actorum potentia , testium corruptela , ac Judicum , & judiciorum iniquitas miserabilium personarum spes justissimas tumularent.

Verum quo id operæ pctio ? Illo videlicet , quo vocem , redditus , facultates suas omnes in subsidium pauperum , vel , ut loquar rectius , pro cœlo exhaustit ; ne  
in





in iustissimo illo DEI Tribunali suum non egisse videretur negotium, dum quosque egentissimos in Tribunalibus Galliae tueretur. Quo etiam commodo? eo nempe, quod in votis habebat unice, ut inter mendicabulorum tot vindicatorum triumphos, per calumniam, ipse mendicabulum despectissimum, abjectissimumque audiret; neque solas jam miserorum causas, verum etiam nomen, despectumque obtineret. Igitur:

Tua hæc merita IVO coronet æternitas! maneat illic beatus animus tuus: maneant hic monumenta, æterna virtutum tuarum. Reddidisti DEO, tibi, tuis, denique omnibus, quæ singulis debebantur. Volo dicere: Reddidisti cuique suum. Vindicasti suum illis, quos certa de injuria nemo, nisi IVO vindicasset. Recte idcirco memoriæ, ac honoribus tuis in urbe Regni totius Principe templum magnificum Gallia statuit, ut eadem in fede Jura darent Reges terreno imperio, tu cœlesti præsidio tuereris. Habeat jam Gallia sola gloriam natalium tuorum. Tutelæ tuæ vim, robur, & efficaciam Hungaria quoque tota, Facultas cum primis Juridica Regni hujus Apostolici deposcit: in quo ab iis hodie, ab iis perpetuo coleris, qui non aliud a te flagitant vehementius, atque ut, quod pro Canonibus Pontificum, pro Pandectis Cæsarum, pro Decretis Re-

gum





gum Sanctissimis agunt semper, te Patrono agant semper : atque suum DEO ; suum Regi, suum Patriæ, & cuivis reddant suum

# D I X I.

